



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnervm

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

§. II. Quàm grata Deo sit meditatio passionis, & Vulnerum Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

harmoniam dum modulatus est, & voce sanguinis bellè cecinit Imperator Amor in Cruce, omnia divisa mundi regna copulavit, & suavissimè traxit ad se. Utinam qui eandem, inter jucundos sanctioris hebdomadæ luctus, ante Crucem, imò mente fixus in Cruce, suspiriorum ad sonitum recinuit, omnia, quæ infidelitas divulsit regna, nexu fidei conjungat in se, & mundo imperet domito, non ferro, sed ligno; benedictus à Deo copiosa benedictione, qui tam piè ac suavi compendio multiplices adedò, atque acerbos Salvatoris cruciatus, non sibi tantùm, sed Augusto exemplo, etiam nobis recolendos proponit.

§. II.

Quàm grata Deo sit Dominicæ Passionis recordatio, ac meditatio.

VErùm instituti mei non est utilitates omnes, quas adfert meditatio Dominicæ passionis, enumerare,

A 5

obiter

*Matth. 16.**17. 28.**Luc. 8.**9.*

obiter ostendendum hîc censui, quàm illa Deo grata, acceptaque sit. In primis Dominum Iesum toties de sua passione, tamque apertè, uti Euangelistæ referunt, egisse, etiam postquam redivivus surrexit, argumentum est, magno opere illi placiturum, si crebrò eamdem piâ attentione recogitemus. An potuerunt Dei oculi imaginem ullam jucundiorē conspicere, quàm Iesum crucifixum, flagellorum, spinarum, clavorum, lanceæ, scelerum denique nostrorum veluti penicillo depictum, in Calvariæ monte, cœlo, terræque expositum? Certè iisdem Dei oculis nulla species gratior exhiberi potest, quàm Iesus idem patiens, seriâ ac devotâ meditatione in animis nostris, ad exemplar, quod nobis in monte monstratum est, formatus, atque repræsentatus.

*Hist. var.**l. 12. c. 1.*

Refert Ælianus, Theridate vitâ functo, Artaxerxem, cui is præ reliquis aulae suæ Principibus charus erat, vehementem animo dolorem concepisse; quem ut leniret, à conjugē Regina impensè petiisse, ut quando accepta sibi veni-

veni-

venire cuperet, Theridatis vestibus accederet induta; ut cum aliter non posset, sic saltem sub imagine, quem morte sibi ereptum lugebat, videretur intueri; quod Aspasia, ita uxor vocabatur, levando, recreandoque Regis animo fecit non illibenter, perinde ac si revixisset Theridates, in togis ejus purpureis, aureisque tiaris, coram Artaxerxe identidem comparens.

Tale quid nobis suadere videtur Apostolus, si coram divina illa Majestate gratiosi voluerimus comparere, cum monet, *ut induamus Dominum Iesum Christum*, Rom. c. 13. hoc est, Sanguineam ejus togam, sacris ^{v. 14.} quinque, totque aliis vulneribus, quasi totidem pretiosissimis gemmis distinctam, qua ipse indutus apparet oculis Dei pro nobis. Et nos, si eadem induti comparuerimus, non feremus repulsam.

Hac veste videor mihi videre ornatam, ac fulgentem Agnetem, sanctam illam, atque ætate sua majorem, ^{Brev. Rom 21. Jan.} tredecim annorum virgunculam & Martyrem: quando enim à sponso suo
Do-

Domino Iesu gloriatur se inæstimabilibus margaritis, & cyclade auro textâ, ac vestimento salutis donatam, & indutam esse, non aliud videtur dicere, quàm ut agebat, Domini Sanguinem ornasse genas suas, ita se eodem Sanguine, quasi purpureâ togâ, atque cyclade textâ divini amoris auro, sacris Domini vulneribus, tot veluti inæstimabilibus margaritis conspersâ, vestitam; in qua, ex sensu Prophetæ Regii, castissimæ, ac sanctissimæ Martyris *omnis gloria ab intus erat.*

*Psal. 44.
v. 15.*

*In Neuf.
de VIII.
vest.*

*De Sac.
Dom. Pass.*

Vtile simul ac jucundum fore lectori confido, si argumentum hoc paullo fusiùs prosequar. In Gallia vidua erat nobilis, cui binæ erant filiæ, quarum natu minor gratiosior quidem erat, sed vanitati impensiùs dedita. Major verò pia magis ac modestior, & Deo erat addictior. Hæc speculo suo, patientis Salvatoris pictam tabellam quotidie jungebat; memor ejus, quod apud venerabilem, ac religiosissimum Patrem D. Drogonem Abbatem Laudunensem, postmodum S.R.E. Cardinalem, atque Ostiensem Episcopum legimus:

Fecisti,

Fecisti, inquit ille, Domine Iesu, de Corpore tuo flagellis conuulso, spinis coronato, Cruci affixo, speculum animarum nostrarum, quod virgo illa se comens, unà cum speculo suo intuebatur, ne dum pro conditione generis sui, omnem seculi ornatum negligere non posset, conspecto patiente, ac sanguine madente Salvatore, ita se componeret, ne vanitate aliqua, ejus à se auerteret benignos oculos. Interim, nocte quadam, per quietem visa sibi est mater videre filiam utramque; annis minorem in vanitate sua monstro similem, alteram Angeli instar speciosam: quippe innocens illa anima, qualibus S. Agnes margaritis, sacris, inquam, Domini vulneribus ornata, ejusque pretioso Sanguine, velut cyclade auro textâ induta, decorem suum ac pulchritudinem in vultum, corpusque transmittibat.

Non dissimile est, quod apud P. Ioannem Rhò nostrum lego. Florentiæ *Lib. x. de
exemp. vir.
c. 3. n. 9.* puella vixit mundi mancipium, magis in dies occupata ut corpus ad vanitatem, quàm ut animam ad æternitatem com-

componeret. Id cum observasset Hippolytus Galantinus magnæ virtutis atque zeli Sacerdos, qui ex adverso habitabat, & cum magno doloris sensu observabat, quot illa bonas horas in dies absumeret, dum ad speculum fenestræ appensum molitur, & comitur, ut se aliosque secum perderet, infelicem vanissimæ puellæ sortem miseratus, ut eam in viam reduceret, cubiculi etiam sui fenestras omnes aperit, ac per illud studiose inambulans crinem peccit, vestes componit, & quasi in speculum aliquod intueretur, illud identidem consulit. Quod illa ubi curiosius observat, mirata viri, vulgo sancti, levitatem, non sine impudenti cachinno; Heus, inquit, Domine Hippolyte, tuum speculum, ut me in hoc contempler, quàm concinnè compta sim. Tum Hippolytus, opportunitatem, quam diu optaverat, nactus, vultu ad commiserationem, pietatemque composito, novi generis speculum ingenioso ac sancto commento, Christi Domini scilicet flagellis concisi, spinis coronati, ac sanguine fluen-

fluentis tabellam eleganter depictam illi objicit; quo illa percussa spectaculo, atque in hac, velut in divina crystallo, conspicata turpitudinem, atque vanitatem suam, mundo nuncium remittit, vitæque religiosæ se consecravit, tantò studiosiùs, ex monito Apostoli, induens Dominum Iesum Christum, animamque suam ad speculi sibi ab Hippolyto donati formam componens, quantò ante corpus ad omnem vanitatem composuerat curiosiùs. O quàm ad prototypum suum Crucifixum, animæ huiusmodi, veste Christi patientis adornatæ, gratum acceptumque spectaculum fiunt Deo, Angelis, & hominibus!

Horreo referre, quod apud S. Bonaventuram tam pium, atque suavem S. E. Doctorem lego: *Non se reputet, inquit, quis hominem, sed bestiam, & plus quàm bestiam, nisi sit vestitus Domini passione, quâ Paulus Romanos vestitos cupit, cum ad illos scribens, ait: Induimini Dominum Iesum Christum, crucifixum scilicet, ac pro vobis vulneratum: observaverat enim*

*P. I. Stim.
cap. 7.*

*Rom. c. 13.
v. 14.*

enim Apostolus à Romanis indui Ner-
ronem Cæsarem, uti ait Ambrosius, to-
gis suis ac paludamentis intertextum.
Volebat itaque illos in animis, patien-
tè Iesu vestiri, qui in corporibus Ne-
rone triumphante vestiebantur.

Sed quàm rari sunt, qui hoc perpen-
dunt, & intelligunt. semel per anni de-
cursum, concionatorem audimus de
Passione Domini verba facientem, &
dictorum protinus obliviscimur. Hæ-
reat animis, quod Bernardus nos mo-
net; *Eum scilicet, qui sensum Christi habet, sat*
*In tract. de
vita solit.* *scire, quantum Christianæ pietati expediat, quan-*
tum Dei servum, & servum Redemptoris deceat,
unâ saltem aliquâ diei horâ, passionis ipsius at-
tentè recollere beneficia; cùm Dominus ipse Iesus
 ut pluribus vir ille sanctus persequitur,
 qua nocte tradebatur ad hanc nobis
 commendandam recordationem, au-
 gustissimum sacratissimi Corporis, &
 Sanguinis sui Sacramentum instituerit
 tantum inexplicabilis ejus erga nos a-
 moris monumentum. Ut cùm hujus-
 modi monitorem habeamus, non nisi
 summâ incuriâ, atque ingrati animi
 signi-

significatione, passionis ejus ac mortis pro salute nostra toleratæ obliviscamur.

Sed quanto prodigio ostenderit Deus, gratum sibi esse continuam à nobis passionis, ac mortis Salvatoris recoli memoriam, in sancta Clara de Montefalco, S. Francisci alumna, admirandæ sanctitatis virgine manifestum est. Potuit, uti quondam S. Bernardus ad suos, ita & illa ad suas dicere: *Quàm sæpè de passione Domini mei Iesu verba faciam, vos mihi testes estis, quàm sæpè cogitem, testis mihi est Deus;* die enim nocteque erant virginis oculi defixi, ac cor intentum in patiente, ac crucifixo Redemptore; qui crucem humeris gestans, tandem se illi videndum exhibuit, totumque se, ac passionis suæ instrumenta cordi Virginis impressit, non visâ neque auditâ hæcenus cælaturâ.

Vivere Clara desiit expleto trigesimo tertio ætatis suæ anno; immortalis eidem vitæ curriculo, cui immortalis est Salvator, ut quæ cruciatibus ejus constanti commiseratione, atque imi-

B

tatione

Barri an.

Sa p. 1. c. 8.

devot. 1. ex

Luca V. ad.

tatione convixerat, in his eundem annorum vitæ terminum inveniret, quem in iisdem tolerandis Salvator sibi statuerat; illi & in vita, & in morte quàm simillima, dum hic Cruci, illa affectui, & imitationi Crucis immoritur.

Apertum defunctæ corpus fuit, atque miræ magnitudinis, infantilis instar capitis, cor repertum, Dominicæ passionis insignia omnia repræsentans. Attende, obsecro benevole Lector, & observa, quantarum fons sit gratiarum, quamque Deo acceptum, crebrò attentâ meditatione Domini Iesu cruciatus revolvere.

In parte itaque cordis dextera, Christi Iesu crucifixi imaginem videre erat pollicis magnitudine, sublatis brachiis, capite in humeros declinante, laterisque vulnere recenti cruore manante. E parte sinistra circulus se primum offerrebat ex nerviculis hispidis præacutis contextus, spineæ Domini Coronæ exemplar; deinde armata manus, quæ innocenti Salvatori alapam impegit; clavi-

claviculi item tres, funiculis totidem, quorum duo altiùs, tertius demissiùs, suspensi. pone erat flagellum nodosum, columna, spongia arundini imposta, lancea, quæ Spoletini vicarii digitum, illam tentantis cuspede sua pupugit, sindon item variis distincta vulneribus: ut cruciatuum Domini officinam, cor Claræ fuisse meritò dixerim. Eia fideles animæ, quæ crucifixum Iesum diligitis, ejus crucem, ejus supplicia, ejus sacra vulnera nullo non die, nulla non nocte, piâ commentatione expendite, ut si nō prodigio tanto in cordibus, imitatione in moribus vestris formetur.

Hanc passi Christi memoriam nos docuit Deipara, quæ ita affata B. Birgittam; *Omni, inquit, tempore quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca, in quibus ipse passus est, & passio ejus in corde meo semper erat, siue comederem, siue biberem, siue quid aliud agerem. Exemplo suo Mater, ac Magistra præivit, ut doceret nihil nobis utilius, nihil Deo gratius esse continuâ passionis dilecti Filii sui in nobis memoriâ. Quam ne unquam deponamus*

Heb. 12.

mus D. Paulus hortatur, non ut cogitemus solum, sed recogitemus eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, & fructum addit, ut ne fatigemur animis nostris: nondum enim usque ad sanguinem restitimus adversus peccatum depugnantes.

*In vita
ejus.*

Monentem Apostolum audivit B. Catharina Bononiensis è divæ Claræ familiâ, quæ diu multumque cupida, ut internos Christi Iesu, atque ejus externos dolores, quos animo, & corpore erat perpeffus, mente cernere, ac comprehendere posset, die quodam Veneris sancto, cum in eo desiderio ante crucifixum suum (cum quo illi creber erat sermo) orationi & meditationi esset intenta, significavit illi Salvator, hanc ejus pietatem admodum sibi placere, quâ se quotidie in meditanda sua passione occupabat, atque, ut alii piam hanc consuetudinem assumerent, laborabat. Deinde illi aperuit ipso temporis momento, quo à sanctissima Virgine Matre sua fuit conceptus, cor sibi animumque immensis, innumerabilibusque

busque doloribus, & angustiis oppressum fuisse, quod jam inde prospiceret, ac presentiret quidquid laborum ac suppliciorum, toto trium, ac triginta annorum decursu, perpassurus esset; fatebatur tamen tormento nullo majori fuisse se affectum, quam dum inexplicabilis hominum ingratitude ipsi obversaretur, qui acerbam adeo ejus passionem, ac mortem negligerent, & sanguinem Filii Dei peccatis suis conculcarent: salutis, quam ipsis adferebat, & offerebat, nimis immemores.

Graves autem, agebat Dominus, mihi erant omnes dies Mercurii; quia in horum postremo Iudas, quem orbis Apostolum, ac Doctorem elegeram, hostibus mihi infensissimis, triginta me argenteis erat venditurus, ac deinde proditurus; quo scelere ipse sibi miserandam mortem, Ierosolymæ excidium, Iudæorum genti universæ à Patre electæ, ruinam parabat, quæ omnia vehementer me affligebant. Sed dies Veneris erant mihi, dum vixi, præ animi angustiis, continuum cum morte

certamen, cum supplicia, quæ in eorum ultimo subiturus eram, singula totâ suâ atrocitate, mihi obversarentur. Inter hæc ingenti mihi dolori erat Matris meæ innocentissimæ, mihi que carissimæ immensa tristitia, quâ, mei causâ, affligenda erat. Atque ita Salvator nondum natus, & infans, & puer, & adolescens, & juvenis, & vir, hoc est, omni ætatis suæ parte, mentis prævisione & apprehensione supplicia, passionem, crucem ac mortem subivit, ut omni hominum ætati saluti esset.

Quod dum pius ille, simul atque elegans Poëta perpendit, miraturque
Luc. c. 20. Dominum desiderio desiderasse Pascha manducare cum Discipulis suis, quia subeundæ Crucis anhelabat ad diem, exclamat:

Sidronius de Hoffche eleg. 2. de pass. Dom. *Christe quid ætatem, mensesq̄, annosq̄, morantes, Quid quereris lentè currere Solis equos? Et, quasi nunc iras, quibus in te sæviet olim Crudelis Solime, non paterere, gemis? Parce queri, quidquid vitæ tibi fluxit ab illo Quo cæpit primum tempore, pœna fuit. Expletur sitis ista tibi, quâ fervidus ardes. Plena quid in mediis flumina queris aquis?*

Si,

Si, nisi morte tamen, non pones mortis amorem,

Utilior votis est mora longa tuis.

Hæc tibi supplicium est, hæc mortes mortibus
addit:

Hæc quidquid faciet barbara turba, facit.

Cur igitur tibi creduntur mala tanta ferenti

Tempora suppliciiis lenta venire tuis?

Quod peris hoc tecum est: neque Crux fatalis a-
mantem

Deserit, aut summum deseret ante diem.

Vt ergo in viam revertar à qua ama-
bilis hic lusus me non nihil abduxerat,
Tibi ergo (pergebat in virginis allo-
quio Christus) Catharina, ut majorem
quàm ante hac à me ineas gratiam, non
dies elabatur, quo non, uti cœpisti, ani-
mam ad passionem meam convertas;
aliosque, ut idem præstent, cohortare,
si mihi rem gratam, sibi que jucundam,
& utilem facere velint.

Idem ab ipso Salvatore edoctus fuit *Survius in
vita ejus.*
S. Edmundus Cantuariensis in Anglia
Archiepiscopus. Cùm enim is adole-
scens Oxfordiæ litteris daret operam,
urbe, dum vacaret, egresso viæ comi-
tem se junxit, ut mox prætulerit Dominus

Iesus, liberali juvenis honorati specie, piis colloquiis Edmundum detinens, ac recreans, illique suadens, si de infernali hoste victoriam reportare, si in omni virtutum genere progredi, ac beatam morte vitam claudere; si Deum, ac Salvatorem suum sibi benevolum cuperet, nullo non die, partem aliquam de ejus passione meditaretur. In qua cum primum locum obtineant sacratissima Domini vulnera, nihil sane Deo, illique gratius potest accidere, quam ut ea novae hujus coronae usu, aliisque pietatis exercitiis veneremur.

*Institut.
Spir. c. 6.*

Appositè sanè ad rem nostram Ludovicus Blosius; Merito singulares Dei amicos etiam sanguineis lacrymis deflere debere, quòd hodie, in toto terrarum orbe, ita præcellentissima Christi vulnera in oblivionem abierint. Nam si redivivus Salvator illa in corpore suo glorioso servata voluit, caeloque invenit, ut his veluti monitoribus aeternum nostri esset memor, sanè æquissimum est, ut nulla dies eorumdem in animis nostris, dum exiguo hoc tempore

pore

pore vivimus, memoriam deleat, sed cum Propheta dicamus: *Domine, nomen tuum, Iesu scilicet suavissimum, & memoriale tuum, vulnerum scilicet tuorum præcellentissimorum, in desiderio, & gratissimâ animæ meæ esse debent recordatione.* Quod pio & eleganti versu monet ille è Societate nostra;

Redde vicem meritis. quæris, quo munere possis? Sidronius

Aut quid, qui gratum te cupit esse, velit? de Hoffche

Non petit ut clavis scindi palmasque, manusque, eleg. de vuln. Dom.

Tempora nec spinis ut patiare fodi.

Non ut flagra tuos lacerent immaniter artus,

Perq; tuum stridens transeat hasta latus.

Plagarum tantum te vult meminisse suarum.

Quis minor est autem, quàm meminisse, labor?

Hoc satis est illi, si tu, quæ vulnera pro te

Saucius ipse gerit corpore, mente geris.

